



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros
distributam

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

III. Terminus multifariam definitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

nifesta est : nam subiectum , & prædicatum , cum separari queant , concepto nimirum homine sine animali, aut retrorsum, vnione à se distincta indigent atque adeo medium siue vnio esse non possunt: contra verò medium propositionis, siue vnio, quantumlibet talis sit, resolutionem propositionis, eiusque innatam propensionem terminare potest: vnde simul terminus & extremum non esse nequit : haud ergo dari potest in propositione medium, quod non sit extremum, esto è diuerso se res habeat.

19

Quod præmissimus tertio loco, quibusdam etiam est difficultatibus obnoxium. Obiicies igitur primò, casus obliques non prædicari, nec subiici, sed adhærere subiecto & prædicato directo : cum enim dicitur v. g. Paulus est inimicus Petri, haud dicitur de Paulo, quod sit Petrus vt constat, nec etiam quod sit Petri, cum nec iure amicitiae, nec seruitutis, aut generationis, aliove vllo ad eum fortassis pertineat. Cæterum dicendum est, eiusmodi casus prædicari non in recto, at in obliquo, tum propter dicta superioris cap. tum etiam propter ea quæ nuper adduximus ex Cassiodoro, qui iterum iterumque alserit, & probat orationem aliquando prædicari, & non qualemcunque, sed eam quæ casu aliquo obliquo consistet. Ratio autem contraria nullius est momenti : nihil enim interest, quod in allata propositione, de Paulo non dicatur, quod sit Petrus, hoc namque est Petrum de eo non prædicari in recto, quod vltro fatemur, neutiquam verò, non prædicari in obliquo, quod solum negamus. Rursus non dici de Paulo, quod sit Petri absolutè, sed inimicū Petri, potius nobis fauet: esse enim inimicū Petri est hunc in obliquo prædicari ; at verò eum esse Petri absolutè, est esse vel seruū, vel amicū, vel filium Petri, aliove nomine ei deuinctum, quod ita an secus sit, nostra nihil refert.

20

Obiicies secundo, casum aliquem, hoc ipso quod obliquus sit, nequire esse terminum propositionis; obliquitatem enim omnem cuius terminus repugnare : quo pacto circulus, quia nihil habet non obliquum, nihil non circumflexum, atque arcuatum, consequenter etiam nullam habet partem, quæ eius terminus sit aut principium finisve : eadem ratione eius etiam motus quo in orbem, obliquo semper tramite, circumagitur, omni termino caret, omnique principio aut fine, vbi incipiat desinere: vtrumque breuiter attigit, & alterum ex altero intulit Seneca lib. 5. de benef. cap. 8. *In orbe ac pila nihil est imum, nihil summum, nihil extremum, nihil primū, quia motu ordo mutatur, & quæ sequebantur præcedunt, & quæ occidebant oriuntur: omnia quomodocumque inveniunt, in idem reuertuntur.* Huc etiam spectat, quod ait Pierius in Hieroglyph. lib. 39. figuram circulem esse symbolum æternitatis, propterea quod in ea nullum terminum, nullum principium aut finem inuenire sit.

21

Respondeo in primis, circulum quantumvis obliquum vndique & orbiculatim quaqua versus flexum, nihilominus esse terminum planitie, quam intra se continet, ac volumine suo circumscribit: quidni ergo casus alij præter nominatiuum, quantumlibet obliqui, propositionis termini sint : Rursus falsum est, circulum neutiquam includere terminum vllum, eoue constitui : illius enim partes diuisibiles habent aliquem terminum indiuisibilem, & communem in quo vniuntur, aliàs non coalitæ : tandem casus obliqui tales dicuntur improprie & analogice, cum tamen, si proprie loquamur, non plus habeant obliquitatis quam nominandi casus, qui vulgo rectus appellatur : vtriusque autem appella-

tionis, vt dixi metaphoricæ & alienæ, ea ratio est: quoniam vt virga v. g. prius recta inflexione & mutatione sui obliquatur, ita nominandi casus cæteris omnibus ordine naturæ prior, postmodum inflectitur, ac multis variatur modis, atque adeo per quandam analogiam & metaphoram tales inflexiones & variationes subsequutæ, casus obliqui vocantur, cum tamen reuera nulla eis insit obliquitas, nulla cum partibus circuli communio magis quam nominandi casui: quare sicut hic, ita etiam illi rationem termini poterunt obtinere. Cætera quæ præmissi difficultates habent alibi soluendas: quocirca eis in præsentiarum superfedeo.

CAPVT III.

Terminus multifariam definitur.

IN primis terminum strictè sumptum ita definio. Terminus est simplex conceptus. Quæ definitio conuenit termino extrinseco, qui propositionem non constituit, sed ad eam disponit; & termino intrinseco, qui simplex conceptus est præcisiue, non negatiue: in hac enim propositione, homo est animal, esto simplex qualitas sit, tamen conceptus hominis à conceptu animalis præscindi potest, & vt sic alteruter simplex est, tametsi positiue & re ipsa compositus sit, vtpote à tota propositione indistinctus. Rursus competit vnioni, & aliis particulis, quas terminos supra probauimus. Demum conuenit termino mentali, quo intellectus concipit, obiectiuo qui ab intellectu concipitur, necnon termino vocali ac scripto, qui intellectus siue conceptiuæ facultatis partus quidam sunt, adeoque conceptus simplices dici possunt.

22

Verum enim obiicies primò, aduersus prædictam definitionem: mera apprehensio rei est terminus, vtique mentalis: & tamen non est simplex conceptus sed compositus ex pluribus gradibus intensiōis. Secundo: iudicium, si simplex qualitas sit, est simplex conceptus, & tamen non est terminus, sed potius terminis constat. Tertio, Deus & Angelus, sicut discursu & propositionibus aliqua inuicem componentibus aut diuidentibus, ita terminis carent: aut conceptus Angelici, simplices, & diuini, simplicissimi sunt, quod ab vtriusque perfectione proficiscitur. Quarto, bruta simpliciter obiecta apprehendunt, & concipiunt: & tamen omnium consensu terminis carent. Quintò, hic terminus complexus, homo albus, est verè terminus: & tamen non est simplex conceptus, cum simplicitas complexionis repugnet. Sextò, terminus æquiuocus proprie terminus est: sed non est simplex conceptus, sed potius conceptu ac significatione multiplex ac diuersus: æquiuoca enim iuxta Aristotelem & omnes, sunt quorum nomen est commune, & ratio significata per nomen omnino diuersa: & quidem, sicut iudicium, etiam si ex parte actus, sit simplex qualitas, nihilominus non dicitur absolutè simplex conceptus nec termini definitionem participat, quoniam non est simplex ex parte obiecti quod concipit, & significat, sed potius multiplex ac tale, quod plura inter se diuidit aut componit: ita similiter terminus æquiuocus, quantumlibet ex parte nominis sit vnus, dici tamen non poterit simplex conceptus, quæ est multiplicitas ac diuersitas rei quæ significat & representat. Septimò, terminus constat seu componitur ex genere, & differentia: hoc enim est illum definiri: est igitur

23

igitur compositus, adeoque non simplex conceptus. Octauo, terminus vocalis v.g. homo, constat voce & significatione arbitraria, quæ potuit ei abesse: Ergo, &c. Denique terminus vocalis & scriptus, non dicuntur conceptus, sed potius conceptuum nostrorum signa & notæ: ergo nec dicendi sunt simplices conceptus, cum tamen in terminis eos numerari nemo non fateatur.

24 Ad primum argumentum respondeo; meram rei apprehensionem esse conceptum simplicem ex parte obiecti, in quod simpliciter & non componendo aut diuidendo tendit: secus vero ex parte subiecti, in eo si gradatim, siue acuatim, & non simpliciter suscipitur, vt communiter dici consuevit: Vel breuius; apprehensio, est conceptus simplex obiectiue, non fortassis subiectiue aut intensiue; Ad terminum autem requiri ut vt obiectiue simplex sit. Ad secundum eodem modo respondeo, iudicium esse simplicem conceptum, nō ex parte obiecti, quod potius instar plurium cognoscit, atque in quod componendo & diuidendo fertur, ed ex parte subiecti, siue intellectus, in quo sine multiplicitate partium forsitan recipitur: hoc tamen ad rationem termini parum interest. Ad tertium aio; conceptus Angelicos & diuinos simplices esse, etiam ex parte obiecti, quod formaliter non componunt aut diuidunt, ceterum eminenter componere ac diuidere siue perfectionem compositionis & diuisionis ubi latet imperfectionibus habere: quis enim neget, eos iudiciis nostris emineret? quo circa termini non sunt cum de horum ratione sit, vt nec formaliter nec eminenter obiectum suum component aut diuidant, a que in hoc sita sit eorum simplicitas. Ad quartum dico, belluas mente carere, quantumuis obiecta simpliciter apprehendant; vnde earum conceptus amenes sunt, non vero mentales formaliter aut denominatiue, siue quod perinde est, mediare vel immediate: alterutra autem mentalitas harum ad rationem termini requiritur. Aut paulo aliter; cum definimus terminum esse simplicem conceptum, subaudi quoque, humanum eum esse: quo tam hoc argumentum, quam præcedens, omni difficultate vacabunt.

25 Ad quintum dicendum est, simplicitatem modo à nobis sumi pro vt solam compositionem aut diuisionem iudicij propriam excludit: terminus autem complexus quantumuis talis, more iudicij non componit nec diuidit, vnde simplicitatem termini obtinet. Quæ etiam solutio sextum, septimum, & octauum argumentum eneruat: haud enim terminus æquiuocus quantumuis ex parte obiecti multiplex; haud terminus in communi, vt vt ex genere & differentia coalescens, & per vtrumque definitus; haud denique terminus vocalis v.g. homo, etiam si ex voce & significatione arbitraria constans, propterea ad instar iudicij obiecta sua diuidunt aut componunt. Ad postremum dicendum est voces & scripta, etiam si sint signa conceptuum internorum, esse nihilominus conceptus externos; nec solum vocari conceptus à scholasticis nostris, sed etiam ab antiquis illis latinæ linguæ proceribus, apud quos concipere verba iuramenti, est præire & dictare alicui, verba externa, quibus sit iuraturus: & concipere vadimonium est similiter eius formulam alteri dictare, & coram illo exterius proferre.

26 Quod si propter vltimum argumentum alicui videatur difficilis nostra definitio, facile erit cum Boëtio superius allegato, & Damasceno c. 48 dial. ita eam refingere: terminus est dictio simplex: Ratio enim dictionis, in voces proprie conuenit; cum per eas proprie loquamur, siue dicamus; actibus etiam

intellectus proprie congruit; cum intellectus quoque sibi dicat, & loquatur; qua ratione Pater æternus intelligendo dicit, loquitur, verbumque producit. At enim aduersus hanc secundam definitionem noua quædam difficultas emergit: nam terminus obiectiuus, est verè terminus, cum proprie sit subiectum, ac prædicatum; quis si quidem neget prolata hac propositio: homo est animal, hominem, qui est à parte rei, esse id quod animali subiicitur, & contra animal quod est in rebus, esse id quod de homine prædicatur? atqui terminus obiectiuus non est dictio, sed res quam dicimus, nec dictio est terminus obiectiuus, siue res obiecta, & cognita, sed potius ipse actus dicendi: perperam ergo terminus per dictionem simplicem finitur. Quæ difficultas etiam aduersus priorem termini stricti definitionem procedit: conceptus etenim non est res quæ concipitur, sed ipsemet actus concipiendi: terminus autem obiectiuus, est res quæ concipitur; haud igitur est conceptus, seu simplex siue alius, cum tamen rationem termini obtineat.

27 Ceterum huius argumenti facilis est responsio: nam dictio non solum est actus dicendi, sed etiam id quod dicitur; sicut visio non tantum significat actum videndi, sed non raro etiam id quod à nobis videtur: Atque ita vsurpatur Ezechiel. 1. 1. *Aperi sunt celi, & vidi visiones.* Isai 6. 9. *Videte visionem, & nolite cognoscere.* Ioel. 2. 28. *Iuvenes vestri visiones videbunt.* Rursus tametsi conceptus multoties significet actum concipiendi, nihilominus meritò poni solet pro ipsa re, quæ à nobis concipitur: haud aliter, ac vius interdum est videndi actus, interdum quoque id ipsum quod videtur: atque ita sumitur à Virgilio lib. 3. *Aeneid.*

Nymphas venerabar agrestes.

Gradiumque patrem, geritici qui præsidet aruis,

Rite secundarent visus, omenque leuarent.

28 Explicato termino strictè sumpto terminum strictissimum, quem Aristoteles in syllogismo triplicem asseruit, in hunc modum definio. Terminus est extremum propositionis in recto. Extremum propositionis, est genus, quo cum termino strictè sumpto conuenit: in recto est differentia, qua ab eo fecernitur. Obiicies primò aduersus hanc definitionem, huius propositionis, v.g. homo est albus, primam ac postremam syllabam aut litteram esse eius extrema, cum tamen eius termini non sint; quo enim pacto tales esse queant, quin subiecti aut prædicati rationem obtineant? Oppones secundò, ex ea definitione fieri, syllogismum constare sex terminis strictissimis, cum sex extrema directa, triplici propositione includat. Argues tertio, huius propositionis complexæ, Petrus est currens, & Paulus est sedens, extrema esse, duas propositiones per coniunctionem, &, copulatas, quæ tamen eius non sunt termini: item participium illud; *currens* non esse extremum eius propositionis complexæ, sed potius in illa interiaccere, nihilominus illius terminum strictissimum esse. Denique quartò insurges: aliquando non nomen sed duntaxat verbum in propositione, de alio prædicatur aut alteri subiicitur: cuius habes paradigma apud Ouid. 4. *trist.* 3.

Fleque meos casus: est quadam flere voluptas.

Expletur lachrymis, egeriturque dolor

At subiectum ac prædicatum principale propositionis, est eius terminus strictissimus: verbum igitur aliquoties est terminus strictissimus propositionis; cum tamen non sit in recto casus: haud enim declinatur per casus, sed potius per tempora coniugatur; frustra ergo particula illa,

29

illa, in *recto*, termini definitionem ingreditur.

Ad primum respondeo; prior ac posterior syllaba illius propositionis, sunt eius extrema, quatenus ad illancitatem permanentem aut successiuam spectat, ac materialiter sumitur: scriptio enim & oratio vocalis, syllabis constans, quantitas quædam permanens ac successiuæ est; cæterum non sunt extrema eius propositionis, formaliter, & prout enunciatio est, in qua ita sumpta illud solum est extremum quod ad extrema mentalia & obiectiua, subiectum videlicet & prædicatum, instar signi refertur, quod non syllabæ aut litteræ, sed integræ dictioni conuenit. Quid? quod littera aut syllaba propositionis rectum esse nequeant. Ad secundum respondeo; syllogismus constat sex terminis strictissimis numero distinctis tatum verò tribus specie distinctis, propter id quod singula extrema in eo repetuntur, & replicantur: huius autem contrarium ex nostra definitione non colligitur. Ad tertium dicendum est, eas propositiones simplices, Petrus est currens, Paulus est sedens, esse extrema vnionis copulatiuæ, non vero vnionis enunciativæ, cum neutra de altera prædicetur; solius vero posterioris vnionis extrema terminos esse definiuimus. Adijce, quod neutra earum propositionum, in *recto* ponatur. Porro illud participium, *currēs*, non est extremum propositionis complexæ immediatè loquēdo, secus vero mediatè, cum sit extremum directum propositionis simplicis, ex qua simul cum alia resultat eaquæ complexa dicitur. Ad postremum dicendum est, verbum, quoties de alio prædicatur, aut alteri subiicitur, esse æquiuallenter in *recto*, eo nimirum quod vim nominis obtineat; quo nihil inter Grammaticos familiarius.


30

Ex dictis colligitur primo, definitionem Soti cap. 5. lect. vnica, quam Thomistæ communiter amplectuntur, reiiciendam esse, videlicet terminus est *signum propositionis categoricæ constitutum*. Primo; quia voci non significatiuæ, qualis est blitiri, non conuenit, vt etiam aduersarij fatentur; & merito, quoniam ea sola vox dici solet signum absolutè, quæ ex hominum instituto aliquid repræsentat: at blitiri esse terminum l. 6. ostendimus. Secundo; quia eiusmodi definitio non conuenit termino, quo propositio non categorica, & absoluta, sed potius hypothetica, vel conditionalis constituitur. Tertio; quia terminus extrinsecus, siue apprehensio simplex propositioni præuia, non potest eam constituere, cum sit simplex qualitas: & tamen est terminus. Denique, sicut propositio definitur sine respectu ad discursum, cur etiam definiri nequeat terminus, nullo habito respectu ad propositionem, etiamsi ita aliquando sumi possit, vt eius definitio propositionem respiciat, sicut ex secunda eius definitione à nobis tradita liquefcit.

31

Colligitur secundo; definitionem Villalpandi lib. 1. cap. 1. scilicet, terminus est *signum probabile in propositione*, eadem ratione reiiciendam esse. Colligitur tertio definitionem illam cuius meminit P. Hurt. disp. 1. summ. sect. 2. §. 6. terminus est *vox significatiua ad placitum, ex qua simplex conficitur propositio*, similiter refutandam esse; tum propter dicta, tum quia in terminos mentales non conuenit, sicut nec in eos quibus propositio, non simplex sed complexa constituitur. Colligitur vltimo, terminum perperam à nonnullis definiri propriè, & quidditatiuè hunc in modum; terminus est *id in quod resoluitur propositio, tanquam subiectum & prædicatum*: Primo, quia per genus valde remotum quale est, *id*, ita definitur, haud aliter, ac si ita ho-

minem defines, homo est ens rationale: nulla autem definitio propria & legitima tradi potest nisi per genus proximum; aliàs tam bona esset superior hominis definitio, ac hæc, homo est animal rationale. Secundo, quia talis definitio ad inferiores species termini, nempe terminum à quo, & terminum ad quem, subiectumve ac prædicatum descendit, non secus ac si quis definiret, animal: est viuens rationale, vel irrationale: ita vero descendere non est propriè definire, sed definitionem cum diuisione confundere. Tertio, quoniam in termino prior est compositio qua propositionem constituit, quam resolutio qua eam non constituit, sicut vniuersum habitus prior est rationis ordine, quam priuatio, & hæc per illum cognoscitur, & explicatur, v.g. tenebræ, per lucem: ea igitur definitio non per conceptum primarium; sed per secundarium traditur, ac proinde quidditatiua nequit esse. Quamuis autem Aristoteles, lib. 1. prior. cap. 1. totam eius definitionis doctrinam tradat, sed non totam vult esse definitionem termini, sed solam priorem eius partem, scilicet, id, in quod resoluitur propositio, & ne hanc esse quidditatiuam & primariam eius definitionem contendit, sed secundariam quandam & perfunctoriam explicationem: cætera vero adhibet exempli, aut diuisionis gratia.



TRACTATVS II.

De speciebus veritatis simplicis, siue termini.

CAPVT I.

Diuisio termini in subiectum, & prædicatum.

PRIMA termini diuisio impræsentiarum nobis explicanda, sit in terminum à quo, & ad quem, siue subiectum, & prædicatum: est enim subiectum veluti basis, & fundamentum, à quo in constructione propositionis incipimus; vt ex eius ethymo perspicuum est: prædicatum autem veluti culmen, & fastigium, ad quod ascendimus. Porro circa hanc diuisionem illud potissimè disputari potest, & solet, an aut quatenus subiectum, & prædicatum distinguantur inuicem? Iuniores aliqui nullam inter vtrumque distinctionem agnoscunt; aut enim inquirunt, sermo est de subiecto & prædicato obiectiuis; & hæc non distingui constat, ex hac propositione, homo est homo, vbi homo non est alius à semetipso, cum tamen obiecto tenus ipse solus subiecti, & prædicati rationem obtineat: aut potius sermo est de subiecto, & prædicato mentalibus; & hæc etiam indistincta non esse nequeunt, cum propositio mentis sit simplex qualitas, ac proinde distinctionem partium, quarum alia sit subiectum, alia prædicatum, excludat.

Verum distinctio aliqua subiecti à prædicato, siue termini à quo propositionis ab eius termino ad quem, nisi splendide fallor, certa est, atque manifestata. Primo, quoniam ambo diuersa connotata respiciunt, videlicet terminos physicos materiamvè, & formam quarum subiectioni, & informationi physica eorum subiectio & informatio intentiona-

lis